

gistro Agazonum nostrorum, Rolando Magistro Tauarnicorum Domine regine, karissime consortis nostre, Comite de Zana; Moys Comite Symighiensi, Michaelae Comite Nitriensi, Bagum Comite de Zala, Iwanka Comite Albensi, et aliis quam pluribus, Comitatus regni nostri tenentibus et honores.

E dipl. Hung. Széchényi pag. 424. — Fejér G. Codex Dipl. Regni Hung. eccl. et civ. T. V. v. II. p. 277.

LXX.

Anno 1277.

Ladislau Rex Timotheo Episcopo Zagrabiensi ejusque successoribus Comitatum Gerzencze seu Berzencze una cum collectis marturinarum et septem denariorum ac zaluzinarum confert.

Ladislau etc. Etsi quibuslibet coronae regiae fidelibus et devotis aperire debemus munificentiae nostrae manus, illis tamen, et maxime praelatis Ecclesiarum tenemur ardentius et specialius respondere, quos videmus nostris et regni nostri negotiis insistere fideliter et devote; et praesertim cum per hoc et honor accrescat regius, et salus attendatur animarum. Proinde ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire, quod gratam et commendabilem fidelitatem et meritoria ac multiplicia obsequia ven. Patris Timothei, miseratione diuina episcopi Zagrabiensis, dilecti et fidelis nostri, quibus in regni nostri negotiis, et coram nostrae maiestatis oculis absque aliquo offensionis scrupulo studuit multipliciter complacere, attendentes, volentesque ob hoc eidem dignae remunerationis beneficio complacere; licet respectu eius, quod ad praesens sibi conferimus, potiora mereretur; in aliqualem tamen recompensationem fidelium obsequiorum eiusdem Episcopi, de baronum nostrorum consilio et assensu, contulimus sibi, et per eum episcopatu Zagrabiensi, Comitatum de Gerzencze, cum collecta marturinarum et septem denariorum, tenendum, habendum et possidendum, perpetuo et irreuocabiliter, pacifice et quiete; cum illa et eadem libertate, quo possessiones et populi dicti Episcopatus Zagrabiensis a temporibus sanctorum praedecessorum nostrorum, illustrium regum Hungariae, gratulantur; statuentes, quod nec banus Sclauoniae, ratione collectae marturinarum et septem denariorum, ac Zaluzinarum; et similiter magister Tauernicorum nostrorum, nomine eiusdem collectae septem denariorum, de ipso comitatu de Gerzencze prouenientium, praedictum episcopum et successores suos praesumat vel debet molestare. Et insuper vniuersi populi, in eodem Comitatu de Gerzencze existentes, nec bani, nec iudicium suorum iudicio in quouis articulo debeant subiaccere; quum ipsum